

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI

IN EPISTOLAM IOANNIS AD PARTHOS
TRACTATUS DECEM

PROLOGUS

Meminit Sanctitas Vestra Evangelium secundum Ioannem ex ordine lectionum nos solere tractare. Sed quia nunc interposita est sollemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex Evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quae ita sunt annuae, ut aliae esse non possint; ordo ille quem susceperamus, necessitate paululum intermissus est, non amissus.

Cum autem cogitarem quid secundum hilaritatem praesentium dierum per hanc hebdomadam vobiscum de Scripturis agerem, quantum Dominus donare dignatur, quod posset in istis septem vel octo diebus finiri, occurrit mihi Epistola beati Ioannis: ut cuius Evangelium paululum intermisimus, ejus Epistolam tractando ab eo non recedamus; praesertim quia in ipsa Epistola satis dulci omnibus quibus sanum est palatum cordis, ubi sapiat panis Dei, et satis memorabili in sancta Ecclesia Dei, maxime Caritas commendatur. Locutus est multa, et prope omnia de Caritate. Qui habet in se unde audiat, necesse est gaudeat ad quod audit. Sic enim illi erit lectio ista, tamquam oleum in flamma; si est ibi quod nutriatur,